



Universitätsbibliothek Paderborn

Cvrsvs Theologici ...

Ea Brevitate Conscriptus, Qvam Tot Tantarvmqve Rervm Amplitudo Et
Varietas Patitvr ...

Quas Secunda Secundæ Et Tertia Pars Divi Thomæ Complectitvr -
Qvæstiones Insvper Ad Mores, & praxim spectantes, maximè circa
Sacramenta, accuratè declarantur

Carleton, Thomas Compton

Leodii, 1664

Dispvatio XCIII. De neceßitate Confeßionis ex præcepto Ecclesiastico.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13826

bitans an sit illud confessus, debens confiteri.

Dicendum cum Vasquez primâ secundâ, disp. sexagesimâ sextâ, Coninck dub. octavo citato, num. sexagesimo octavo, Sanchez, & communi sententiâ, tunc obligari ad confitendum: si enim peccavit jam perdidit possessionem libertatis ad non confitendum, & oritur ei obligatio certa hoc onus subeundi, & sic possessio stat in hoc casu pro præcepto, cui certo debito per incertam omnino solutionem non satisfacit, ut bene Coninck citatus.

XI.
Si tamen ei constet se ab illo tempore confessionem bonâ

Hoc tamen intelligendum est, ubi constat alicui de peccato, dubitat autem utrùm ab illo tempore sit confessus, si enim constat de confessione bonâ fide, & per debitam adhibitam diligentiam factâ, & solum dubitat utrùm hoc pecca-

tum casu in illâ confessione omiserit per oblivionem, vel inadvertentiam, non tenetur confiteri; in dubio enim præsumendum est confessionem eo modo factam esse, quo oportuit. Unde Tannerus & alii affirmant eum, qui semel iudicio prudentis Confessarii integrè censetur confessus, non teneri ullum amplius ex prioribus peccatis confiteri, imo si scrupulosus sit, non expedire, nisi certus sit se illud, ne quidem generaliter & confusè inter alia ejusdem rationis peccata fuisse confessum, licet illius antea in particulari non cogitaret, cum persuadere sibi possit, se debitam diligentiam adhibuisse, & consequenter eo quo oportebat modo omnia esse confessum, donec constet contrarium.

fide instituit se, non tenetur illud confiteri.

DISPUTATIO NONAGESIMA TERTIA.

De necessitate Confessionis ex præcepto Ecclesiastico.

Disputatione præcedente, Sectione primâ, & alibi ostendimus præceptum Confessionis esse de jure divino, nunc inquirimus quo modo & quas personas obliget Ecclesia ad Confessionem.

SECTIO PRIMA.

De iis quæ spectant ad Confessionem Annuam.

I.
Afferit Durandus Ecclesiam, nec præcipere de facto confessionem, nec posse præcipere.



DURANDUS in quarto, dist. 17. quæst. octavâ dicit Ecclesiam, nec de facto præcipere, nec posse præceptum confessionis imponere; nec enim, inquit, potest Ecclesia præceptum imponere cujus transgressionem punire nequeat, quale est præceptum Confessionis; si enim quis negaret se peccasse mortaliter, & propterea non confiteri, non posset, inquit, convinci, & consequenter nec puniri ab Ecclesiâ.

II.
In Conciliis expressè ponitur præceptum confessionis annuæ.

Sed ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. refertur capite *Omnis utriusque sexus*, præceptum confessionis singulis annis faciendâ, quod etiam ponit Concilium Tridentinum sess. decimâ quartâ, capite octavo: ex quibus clarè constat Ecclesiam, non consulere solum hoc, sed præcipere. Nec quidquam contra hoc facit ratio posita; quicquid enim sit de actibus internis, actus tamen externos præcipere potest Ecclesia, cum spectent ad visibilem illius gubernationem. Nec refert quod transgressio hujus præcepti probari

non possit; id enim in multis aliis contingit, quæ tamen ab Ecclesiâ prohibentur, ut de sumptione Eucharistiæ, quam si quis ore tantum sumeret & non deglutiret, nunquam convinci posset, & tamen peccaret contra præceptum Ecclesiæ.

Quæres, quo tempore obliget hoc præceptum confessionis annuæ? Volunt aliqui teneri omnes intuitu hujus præcepti Ecclesiæ ad confitendum determinatè tempore Paschatis. Communis tamen sententia docet, per confessionem quovis anni tempore factam satisfieri huic præcepto, licet indirectè & ratione communionis obligentur fideles ad confitendum mortalia in Paschate, si quæ habeant, per quod solvitur argumentum ductum ex consuetudine fidelium, qui hoc præstant ob reverentiam in Sacramentum Eucharistiæ; quo etiam sensu capiendus est Xixtus IV. dum ait, ex præcepto Ecclesiæ teneri fideles confiteri in Paschate; solum enim vult ratione communionis in Paschate præscriptâ, fideles præceptum confessionis tempore Paschatis implere, non quòd alio tempore facta confessio non sufficiat præcisè ad satisfaciendum præcepto confessionis.

III.

Quo tempore obliget præceptum confessionis annuæ.

IV.

Ex Concilio Trid. ostenditur sufficere confessionem ullo anni tempore factam.

Undè Concilium Tridentinum sess. decimâ quartâ, capite quinto faciens mentionem hujus consuetudinis fidelium confitendi in Quadragesimâ, seu circa Pascha, ait sanctam Synodum amplecti hanc consuetudinem tanquam piâ & merito

merito retinendam ob maximum fructum, quem inde percipiunt fideles, non tamen ait esse præceptam, imo in capite *Omnis utriusque sexus*, ubi præcipue fit mentio præcepti confessionis annuæ, solum dicitur debere fieri semel in anno, cum tamen præceptum communionis, quod ibidem ponitur, limitetur ad tempus Paschale, ergo alio modo imponitur unum præceptum & aliud.

V. *Circa modum computandi annum distulissent inter se Auctores.*

Difficultas est circa modum computandi annum. Graves itaque Doctores, ut Suarez, Vasquez, & alii eum computum fieri volunt, vel à Paschate in Pascha, aut à Januario in Januarius: quare Vasquez & alii admittunt, si quis confessus sit in Januario initio hujus anni, non teneri amplius confiteri usque ad finem anni sequentis, & sic posse per duos annos integros abstinere à confessione citra violationem præcepti Ecclesiastici, & toto illo tempore in peccato mortali permanere, quod tamen multis videtur contra finem ab Ecclesiâ intentum. Quare Valentia & alii volunt computandum esse annum ab ultimâ confessione, ita ut qui hoc mense Aprilis est confessus debeat ex præcepto Ecclesiæ, si conscius sibi peccati mortalis sit, iterum ante Aprillem sequentem confiteri, nec debent duodecim menses transire, antequam iterum confiteatur.

VI. *Quid de illo dicendum, qui post multos annos innoctenter transgressus, tandem incidit in peccatum mortale.*

Quod si contingat aliquem qui multis annis vixit sine commissione peccati mortalis, in aliquod tandem incidere, probabile putant aliqui non teneri eum statim confiteri, sed computandum esse annum ab ultimâ confessione venialium, nam in favorabilibus censent multi hanc confessionem stare pro eâ quæ injungitur per præceptum confessionis annuæ. Dici tamen potest hunc teneri statim confiteri, neque hoc majorem habet difficultatem in hac sententiâ quàm in contrariâ; si enim quis in Januario confessus sola venialia, quorum est conscius, paulo post incidit in mortale, responderi ipsi debent huic objectioni, & vel obligare hunc hominem statim ad confessionem, vel dicere per confessionem venialium, satisfactum esse præcepto Ecclesiæ de confessione annuâ. Annus autem puerorum obligationis, videtur computandus ab eo tempore, quo ad usum rationis primò perveniunt, quod plerumque circa annum septimum solet contingere.

VII. *Hoc præceptum obligat omnes ad peccata mortalia semel in anno conscientia.*

Hoc ergo præceptum obligat omnes ad peccata mortalia semel in anno Sacerdoti proprio, aut alteri de illius licentiâ confitenda, per hujusmodi autem is omnis intelligitur, qui habet potestatem eum à peccatis illis directè absolvendi. Quævis itaque confessio huic validè facta sufficit ad hoc præceptum implendum, licet vel per oblivionem peccatum aliquod mortale inadvertenter ommitteretur, vel justâ de causâ subiceretur, nec ipsi sequente anno peccatum illud confiteri teneretur.

SECTIO SECUNDA.

Alia quædam circa præceptum Ecclesiasticum Confessionis.

I. *Utrum si Christus nulum imposuisset præceptum confessionis, sed reliquisset hominibus integrum deferre vel non deferre ad Sacerdotes peccata, ut eorum remissionem consequerentur, potuisset Ecclesia*

ejusmodi præceptum imponere. Suarez hic disp. trigesima quintâ, sectione primâ, numero decimo octavo, Vasquez quæst. nonagesimâ, art. primo, dub. quarto, num. quadragesimo tertio, & alii, licet de facto præceptum confessionis dicant non esse purè Ecclesiasticum, sed determinationem juris divini, & præcepti à Christo impositi, si tamen, inquit, Christus instituisset Sacramentum confessionis, seu hanc vim ei indidisset remittendi peccata, potuisset Ecclesia omnium peccatorum mortalium præceptum imponere, & Sacramenti hujus usum, eo modo quo præcipere potest usum Confirmationis vel Extremæ-unctionis

Probabilis tamen videtur quod dicunt alii, si Christus ita instituisset Sacramentum hoc, ut modò instituit, nempe debere homines ut effectum illius fortiantur, omnia peccata mortalia confiteri, esse rem nimis difficilem, nec posse Ecclesiam eam ob difficultatem toti hominum generi imponere, nec tamen si reliquisset liberum hominibus Christus ad effectum hujus Sacramenti percipiendum, ut unum aliquod solum peccatum confiterentur.

Unde nec potest Ecclesia secundam & tertiam omnium eorundem peccatorum confessionem universim subditis præcipere, cum ipso facto quòd ea semel ritè confessi sint, cesset præceptum Christi illa confitendi, & consequenter ubi non est præceptum, non potest Ecclesia tam gravem onus imponere. hoc deduci videtur ex illo Benedicti undecimi extravagante *Inter cunctas de Privilegiis*, ubi dicit Pontifex absurdum esse ut semel confessus teneatur secundo confiteri.

Dices: In religionibus hanc praxim cetni, ut si fortè religioso quispiam iter agens in peccatum aliquod reservatum incidat, possit illud cuiusvis Sacerdoti idoneo confiteri, & ab eo etiam directè absolvi, cum possit is liberè ad Eucharistiam accedere, quod tamen facere non possit, nisi in casu necessitatis, si solum indirectè esset absolutus: & tamen religioso illi incumbit onus, iterum peccata sua reservata Prælato suo confitendi, ergo potest Ecclesia præcipere secundam confessionem eorundem peccatorum.

Confirmatur ex statuto quodam ordinis Cisterciensis, à duobus summis Pontificibus Sixto IV. & Pio II. approbato, per quod præcipitur ut religiosi illius Ordinis peccata, quæ per annum confessi fuerint Confessario ordinario, iterum in fine anni Abbati confiteantur, ergo &c.

Ad objectionem respondetur cum Navarro, Medina, Coninck disp. octavâ, dub. decimo quinto, & aliis apud ipsum hanc obligationem peccata reservata iterum Superiori confitendi non provenire nisi ex pacto quodam & acceptatione vel expressâ, vel tacitâ penitentis; eâ enim conditione cedit jure suo Superior ut subditus postea peccatum illud ipsi confiteatur, & consequenter hinc non sequitur posse hoc purè per modum præcepti injungi, & contra voluntatem penitentis, qui est noster casus quando inquirimus de impositione præcepti.

Ad confirmationem eodem modo respondetur, illam scilicet obligationem religiosi illis impositam non fuisse sine eorum consensu explicito vel saltem implicito: esto enim multi ex monachis eam agrè tulerint, ut refert Dionysius Cart. imò ipse malè de eo statuto sentire videatur, hoc tamen non arguit fuisse ipsis hoc sine ullo eorum consensu impositum, sed quod agrè confenserint.

Addunt

set eam præcipere Ecclesiâ.

II. *Alii nihilominus hujusmodi præceptum gravius esse dicunt, quàm ut hominibus ab Ecclesiâ imponeretur.*

III. *Non potest Ecclesia secundam & tertiam omnium eorundem peccatorum confessionem præcipere.*

IV. *Obijc. In more esse ut religiosus, si in itinere in peccatum reservatum incidat, et illud confessus sit alicui, postea tamen iterum confiteatur suo superiori.*

V. *Idem confirmatur ex quodam statuto Ordinis Cisterciensis.*

VI. *Resp. Obligationem illam confitendi peccatum reservatum præcedere expresso, vel tacitâ acceptatione penitentis.*

VII. *Eodem modo respondetur ad statutum illud Ordinis Cisterciensis.*

Addunt aliqui, licet universim pro omnibus non possit ferri hujusmodi lex ob difficultatem rei, nil tamen obstat quo minus aliquibus, seu in religione aliqua observante, & perfectionem proficiente imponi hoc aut aliud æqualis difficultatis nequeat tanquam medium ad perfectionem obtinendam.

VIII.
Hoc Concilium Lateranense præceptum illud solum obligat, qui habent peccata mortalia.

Hinc ulterius infero cum Suarez disp. 36. sect. secundâ, num. octavo, Vasquez, & aliis sub hoc præcepto Lateranensis Concilii non comprehendendos eos qui non habent nisi venialia, tum quia solum est restrictio & determinatio juris divini, quod nullam imponit obligationem confitendi venialia, tum quia ibidem jubentur fideles omnia sua peccata semel in anno confiteri, quod certe de venialibus rectè præcipi non possit.

IX.
Tenetur tamen quis, etsi sola habeat venialia, se Parocho in Paschate præsentare.

Cæterum, ut rectè notat Suarez ibidem, & est communis Doctorem, tenetur quis, saltem ratione communionis in Paschate accedere & præsentare se Parocho dicendo se peccatum mortale non habere, & propterea ad confessionem non accedere, cui nisi urgens ratio sit in contrarium credi debet, nam in hoc foro unicuique credi oportet tam pro se, quam contra se dicenti. Imo addit Suarez, posse hoc ab eo Parochum exigere, non solum ratione communionis, sed præcepti confessionis annuæ, ut reddat rationem cur illud non expleat.

X.
Aliquorum saltem venialium confessionem præcipere potest Ecclesia.

Possit tamen Ecclesia præcipere confessionem aliquorum saltem venialium præcipiendo usum hujus Sacramenti, etiam iis qui mortalibus carent, vel absolutè etiam imponendo omnibus præceptum frequentandi Sacramentum Pœnitentiæ, posito quod Christus in ejus usu integrum hominibus reliquisset, vel omnia vel aliqua solum mortalia, quando ea quis habet, confiteri, imo non indirectè solum, seu jubendo frequentare hoc Sacramentum, sed etiam directè existimo posse Ecclesiam imponere præceptum confitendi aliqua venialia, nam in hoc non est major difficultas, quam quando præcipitur indirectè.

XI.
Quamvis persona hoc præceptum confessionis annuæ teneatur.

Disputatur hic ab aliquibus, quænam personæ præcepto hujus confessionis annuæ teneantur & (scilicet Ethnicis, seu non baptizatis, de quibus nulla est controversia, cum non subsint potestati Ecclesiæ) difficultas est de hæreticis, cum verba Concilii solum obligent fideles: item

de pueris, ubi ad rationis usum pervenerint: tandem de Summo Pontifice, qui cum sit supra omne jus Ecclesiasticum non videtur hoc præcepto ligari, cum Princeps legibus solutus sit. Sed de his videatur Suarez disp. 36. sect. tertiâ, num. quinto, Vasquez quæst. 90. art. primo, dub. quinto, num. duodecimo, Azor tomo 1. lib. quinto institutionum moralium, cap. undecimo, & alii passim.

Quæres tertio: Utrum per quamcunque confessionem, etiam absolute verâ non sequente, satisfiat huic præcepto confessionis annuæ. Respondetur negativè; hoc enim præceptum, ut diximus, & satis clarè docet Concilium Tridentinum sessione decimâ quartâ, capite quinto, sine, est tantum determinatio præcepti Christi, Christus autem præcepit confessionem validam, & veram receptionem hujus Sacramenti. Quare, cum juxta Concilium Tridentinum, Ecclesia & Christus idem præcipiant, præcipit etiam Ecclesia veram Sacramentalem confessionem.

XII.
Verum per quamcunque confessionem huic præcepto satisfiat.

Nec obstat id quod opponunt aliqui, Ecclesiam non posse præcipere actionem internam, qualis tamen requiritur ad confessionem Sacramentalem; ad hanc enim necessarius est dolor de peccatis. Hoc inquam, non obstat; licet enim Ecclesia præcipere non possit operationem merè internam, & per se sumptam, prout tamen necessaria est ad externam ritè præstandam potest, ut dici latius solet in materia de legibus, ubi ostenditur, posse hoc modo indirectè, & consequenter potestatem humanam præcipere actus internos, ut subordinantur externis ritè præstandis: sic Ecclesia iis, qui fruuntur beneficiis Ecclesiasticis præcipit eleemosynam de superfluis: deinde potest Republica præcipere, contractus aliquos donationis, locationis, &c. Judex exigere à teste potest juramentum, & alia hujusmodi, quæ tamen sine aliquo actu interno voluntatis, saltem intentione peragi non possunt. Sicut ergo Judex temporalis exigere potest verum juramentum, & consequenter actum internum, qui in eo includitur, ita quidni poterit Ecclesia præcipere verum Sacramentum, esto similiter in eo includatur actus internus, quem consequenter præcipit.

XIII.
Obiicit Ecclesia non posse præcipere actum internum.

